Interea teneris tepefactus in ossibus umor
aestuat, et visenda modis animalia miris,
trunca pedum primo, mox et stridentia pinnis,
miscentur tenuemque magis magis aëra carpunt,
donec ut aestivis effusus nubibus imber
erupere aut ut nervo pulsante sagittae,
prima leves ineunt si quando proelia Parthi.
  Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe
amissis, ut fama, apibus morboque fameque
tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis
multa querens atque hac adfatus voce parentem:
  « Mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius
ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum
(si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo)
invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas?
En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,
quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
omnia temptanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age et ipsa manu felicis erue silvas,
fer stabulis inimicum ignem atque interfice messis,

311 tenueque **P**, tenuem **n** (*om.* que)   magis ac magis **M** (ac *del.* **M**[7]) **Ra**[1]**fn**   captant **Rc**[1] (captunt **c**)   313 erumpere **M** (*corr.* **M**[7]), eripuere **R**   aut] vel **bc**   315 « *sane sciendum... ultimam partem huius libri esse mutatam; nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam, quae inserta est postquam irato Augusto Gallus occisus est* » *Serv. Georg. 4, 1* (*cf. etiam Serv. B. 10, 1 et Tanner*, ' *PVS* ', *IX, 1969-70, 86-106*)   hanc] o *Diom. 437, 31*   qui *Diom.*   extulit **c**?; « extudit... *alii* extulit ». *schol. Bern.*   317 Tempae **ω** (*praeter* **fhnr**)   318 apibus *ex* pibus **R**[5]   famaeque **M**, *corr.* **M**[2]   319 ad] et **c**   sacrum] s *et* c *in ras.* **R**, placidum *ex* placitum **M** (*cf. Aen. 1, 127*)   320 quaerens **M** (*corr.* **M**[2]) **R**   adque **R**   affatus hac **cdt**, hac *om.* **a**   322 ima] iam **PR**   tenens **Pbc?**   a stirpe **Rγ**   323 est] es *ex* s **M**[1]   326 en etiam] initiam **P**   327 ac **br**   pecudum **Mωγ**[1], *Non. 158, 37; 460, 5* (pecodum **c**): pecorum **PRbrγ**, *Hirtzel*   328 temptandi **γ**, *corr.* **γ**[1]   exstuderat **R**, extulerat **a**[1]   329 ipse **P**   felices **MR**   330 messes **M**, meses **R**

ure sata et duram in vitis molire bipennem,
tanta meae si te ceperunt taedia laudis ».
  At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae
carpebant hyali saturo fucata colore,
Drymoque Xanthoque Ligeaque Phyllodoceque,
caesariem effusae nitidam per candida colla,
[Nisaee Spioque Thaliaque Cymodoceque]
Cydippe et flava Lycorias, altera virgo,
altera tum primos Lucinae experta labores,
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,
ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,
atque Ephyre atque Opis et Asia Deiopea
et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani Martisque dolos et dulcia furta
aque Chao densos divum numerabat amores.
Carmine quo captae dum fusis mollia pensa
devolvunt, iterum maternas impulit auris

331 ure] uae **P**   duram *Ribbeck et Sabbadini*, duramm **M**: validam **M**[2]**PRωγ**, *Arus. 493, 12, Mynors* (*ex Aen. 11, 651*)   vites **R**   bipinnem **MR**   332 lauris **P**   333 et **γ**, *corr.* **γ**[1]   334 sentit **R**   verbera **M**, *corr.* **M**[1]   335 hyalis **P**, thyali **R**   satyro **PR**   336 drumoque **M**   legeaque **M** (*corr.* **M**[2]) **P**, legeatque **R**   338 *ex Aen. 5, 826 huc translatum om.* **MPRωγ**, *schol. Bern., Serv., habent* **acdγ**[1]   thalique **acd**, et talique **γ**[1]   339 cydippeque **Rγ** (*corr.* **γ**[1]), *Ribbeck*   lycoris alterna **R**   340 lycinae **P**   341 celoque **P**, clique **R**   *v. 343 ante 342 habet* **γ**, *corr.* **γ**[1]   343 ephyra **M**, epyre **P**   deiopaea **R**   344 at **M**, *corr.* **M**[2]

345-419 GMPR. — 345 curas **γ**[1]   inanes **γ**[1]   346 vulcani **M**, *schol. Bemb. Ter. eun. 319*   matrisque **P**   doloss **R**, *corr.* **R**[3]   « Martisque, *secundum Donatum hic distinguendum est, ut dolos ad Vulcanum*, furta dulcia *id est adulterium referamus ad Martem* » *Serv.*, « *quidam distinguunt* Vulcani curam inanem » *schol. Bern.*   347 aque **γ**[1], *Serv. hic et B. 7, 13*: atque **MPRωγ**, *Arus. 489, 7*, adque **G**, vel *schol. Bern.*; *cf. Aen. 2, 419*   cha **R**, o *add.* **R**[1], chaos **γ**[2]   densos divum] densadsiduom **P**   348 carimine **P**   dum fusi **G**, fusis dum **Mγ**[1], *Sabbadini*, fusisis dum **γ**   349 inpulit **G**   aures **MPR**

luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
obstipuere; sed ante alias Arethusa sorores
prospiciens summa flavom caput extulit unda
et procul: « O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
stat lacrimans et te crudelem nomine dicit ».
  Huic percussa nova mentem formidine mater
« Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom
tangere » ait: simul alta iubet discedere late
flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum
curvata in montis faciem circumstetit unda
accepitque sinu vasto misitque sub amnem.
Iamque domum mirans genetricis et umida regna
speluncisque lacus clausos lucosque sonantis
ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum
omnia sub magna labentia flumina terra
spectabat diversa locis, Phasimque Lycumque
et caput unde altus primum se erumpit Enipeus,
unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta
saxosusque sonans Hypanis Mysusque Caicus

350 aristei **M** vittreis **P** amnes **M**, *corr.* **M**^{1} 351 opstipuere **M**, exsiluere **a**^{1} 352 flavum **GMR**, placidum *Serv.* (*ex Aen. 1, 127*) *vv. 353-355 om.* γ, *add.* γ^1 354 cuba **P** 355 Penei] magni *Bentley*, nostri *Peerlkamp*, sacram *suspic. Ribbeck* gnitoris **P** 357 huc **M**, *corr.* **M**^{1} 358 divum **GR** 359 agit **a** latae **M**, *corr.* **M**^{2} 360 quid γ, *corr.* γ^1 inferre **P** ad **G**γ (*corr.* γ^1), *agnoscunt schol. Bern.* 361 im **P** molis *Macrob. 5, 3, 4* faciem] speciem **M** circumstitit **G**, circumspicit **P** 362 misetque **P** 363 genetrix **R** 364-376 *fere omnino evanuerunt in* **G** 365 motus **M**, *corr.* **M**^{2} 366 sub *in ras.* **R** 368 primus **M**, *evan. in* **G** se *om.* **adtv**, *evan. in* **G** erumpit **M**ωγ^1, *Arus. 472, 15*: rumpit **Rbcr**γ, rupit **P**, *evan. in* **G** enipheus **R** 369 anina **M** (*corr.* **M**^{2}), alena **P** 370 saxosumque **nrtv**, *edd. ante Wagner*; « saxosum *legendum, non* saxosus, *ne sint duo epitheta* » *Serv.*, « saxosusque sonans, *non ut duo intellegendum, saxosus et sonans, sed ob saxa sonans* » *DServ.* chaicus **M** *versum 370 ante 369 colloc. Schrader et Ribbeck, alteri recensioni tribuit Sabbadini*

et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
in mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
perventum et nati fletus cognovit inanis
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis
germanae tonsisque ferunt mantelia villis;
pars epulis onerant mensas et plena reponunt
pocula, Panchaeis adolescunt ignibus arae.
Et mater: « Cape Maeonii carchesia Bacchi;
Oceano libemus! » ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores,
centum quae silvas, centum quae flumina servant.
Ter liquido ardentem perfundit nectare Vestam,
ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Omine quo firmans animum sic incipit ipsa:
  « Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et Nymphae veneramur et ipse
grandaevus Nereus: novit namque omnia vates,

371 cornua] corpore **M**, *corr.* **M**^{2} voltus **P**, *evan. in* **G** 372 pingiua **M** 373 im **P** influit ω (*praeter* **b**), *evan. in* **G**; « effluit: *legitur et* influit » *DServ.* 375 et *om.* **M**, *add.* **M**^{2} naii **P** fetus **M**, *corr.* **M**^{2} 376 libidos **M**, *corr.* **M**^{1} fontes **R**, *evan. in* **G** 377 germane **M**, *corr.* **M**^{1} 378 mensas] aras **P** (*cf. Aen. 5, 101; 8, 284; 12, 215*) 379 pancaeis **GM** ignibus] pinguibus **M**^{2}, *quod defendit Wagner* 381 praecatur **R** 383 silvas et **R** 384 perfundit **GMPR**: perfudit **M**^{2}ωγ, *Serv.*, *DServ. ad v. 380*, *edd. ante Ribbeck* (*sed cf. Georg. 3, 92*) 385 flammam **M** tectis **Mb**, *om. Diom. 412, 24* sublata **M**γ (*corr.* **M**^{2}γ^1), *periit in* **G**, subrecta *Kvičala* 386 firm **M**, ans *add.* **M**^{7}, formans γ (*corr.* γ^1), *Non. 357, 27* ipse **a** 387 carphatio **M**, carphalio **P**, carpatho **R**, carpathii *ps. Probus* nepluni **P** 388 protaeus **M**, *corr.* **M**^{2} 389 aequorum **M**γ, *corr.* **M**^{2} 390 hic *ex* his, *ut vid.*, **R** 391 pellenen **M**, *corr.* **M**^{1} *pr.* et *om.* **R** ipsi **M**, ipsae γ 392 grandaeus **P**, grandevus **R** nereus *om.* **R**, *add.* **R**^{1}

quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur;
quippe ita Neptuno visum est, immania cuius
armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
expediat morbi causam eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
orando flectes; vim duram et vincula capto
tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,
cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,
in secreta senis ducam, quo fessus ab undis
se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.
Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
tum variae eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus atraque tigris
squamosusque draco et fulva cervice leaena,
aut acrem flammae sonitum dabit atque ita vinclis
excidet aut in aquas tenuis dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnis,

---

393 sunt **v** fuerunt **v**, *Wagner* trahentur **M** (*corr.* **M**^{2}), trahuntur γ, *Wagner*, sequantur γ^1, sequentur *Macrob. 1, 20, 5* 396 capiendus vinclis **R** ut] et γ^1 amnem **M**, *corr.* **M**^{1} 397 expediant **R**γ (*corr.* γ^1), *evan. in* **G** morbe **P** 398 ii *in* vi *corr.* **P** responsa *Probus 255, 23*; « praecepta: *responsa* » *DServ.* nec **b** ipsum γ^1 399 flectens **M** (*corr.* **M**^{1}), vinces **ω** (*praeter* **bnrt**) vin **P** 400 dolis **R** hac **R** frangentur **M**ωγ, *schol. Bern.*, *Serv.*, *DServ.*, *Mynors*: franguntur **PRcr**, *Ribbeck et Sabbadini*, *periit in* **G** 401 accenderet **P** 402 pecora γ, *corr.* γ^1 umbras γ, *corr.* γ^1, umbrast *Ribbeck* 404 iacentem *ex* recentem, *ut vid.*, **R** 406 ludent **R**, inludent **bn**, inludunt *DServ.*, *periit in* **G**; *cf. Georg. 1, 181* adque **G** 407 flet **P**, fit *Porph. Hor. s. 2, 3, 73* sus **M**^{2}ωγ, *Porph.*: suus **MPR**, *periit in* **G** 408 laena **P**, leaenae **Rc** 409 sonitum flammae **M** adque **G** 410 elabsus **G**, dilabsus **P**, delapsus **n** habebit **M** (*corr.* **M**^{2}) **R** (habibit **R**^{1}) 411 set **M** vertit **Pac**, *Aug. c. d. X, 10* omnes *in* omnis *corr.* **R**

tam tu, nate, magis contende tenacia vincla,
donec talis erit mutato corpore qualem
videris incepto tegeret cum lumina somno ».
Haec ait et liquidum ambrosiae defundit odorem,
quo totum nati corpus perduxit: at illi
dulcis compositis spiravit crinibus aura
atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
exesi latere in montis, quo plurima vento
cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,
deprensis olim statio tutissima nautis;
intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha
conlocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.
Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
ardebat caelo et medium sol igneus orbem
hauserat, arebant herbae et cava flumina siccis
faucibus ad limum radii tepefacta coquebant,
cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
ibat; eum vasti circum gens umida ponti

---

412 tam tu *edd. post Ribbeck*, *cl. Aen. 7, 787 et Don. Ter. hec. 417*: tantu **MP**γ, tanto **M**^{7}**R**ωγ^1, *Non. 258, 36*, *edd. pler.*, tantum **b**, tante **c**, *periit in* **G**; « tanto nate magis: *alii legunt* tantum (tantu) nato magis » *Serv.*, « *alii dicunt* tantum, *alii* tanto magis; *Iunilius dicit*: quanto *legitur et* tanto » *schol. Bern.* vinclis **P** 414 (teg)erret **G** sommo **M**, *corr.* **M**^{1} 415 hae **M**, *corr.* **M**^{2} agit **a** ambrosia **R** defundit **G**ω (defudit **at**, defendit **f**), *DServ.*: diffundit **Mbcr**γ *et post Heinsium edd. nonnulli* (*cf. Granarolo*, ‘ *Latomus* ’, *XXX*, *1971*, *472*), perfundit **P**, depromit **R** (depromit *glossa ad* defundit?) 416 natum **a** perduxit] perfudit **R**, *glossema* ad **Gb** ille **Pb** 417 auras **R** 418 adque **R**, aque γ^1, *periit in* **G** vigor venit **M**, *corr.* **M**^{2} est] et **PRb** 419 exesi **MR**, *periit in* **G** in *om.* **M**, *add.* **M**^{1}, im **P**

420-435 MPR. — 421 depressis **c** fidissima **n** 422 sed **P** 423 hinc γ, *corr.* γ^1 a *om.* **Rbnr**, *Serv.* 424 collocat **M** obscurat **M**, *corr.* **M**^{1} 425 « iam rapidus *hic distinguendum propter duo epitheta* » *Serv.*; rabidus *Bentley* torpens **P** siriuis **P**, serius **R** Indos] agros *Schrader* 426 medioum **M**, *corr.* **M**^{1} 427 hausserat **P**: hauserat **M**^{2}**R**, auserat **M** 428 radiis **M**, *Arus. 455, 6* tepefata **R** 429 atra **M**, *corr.* **M**^{1} 430 circum vasti **M**, *corr.* **M**^{2}

exultans rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae;
ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit
auditisque lupos acuunt balatibus agni,
consedit scopulo medius numerumque recenset.
Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
vix defessa senem passus componere membra
cum clamore ruit magno manicisque iacentem
occupat. Ille suae contra non immemor artis
omnia transformat sese in miracula rerum,
ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
in sese redit atque hominis tandem ore locutus:
« Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
iussit adire domos? quidve hinc petis? » inquit. At ille:
« Scis, Proteu, scis ipse, neque est te fallere quicquam;
sed tu desine velle. Deum praecepta secuti

---

431 dispergit **MR**: discerpsit **P**, dispersit **ωγ**, *Ribbeck* 432 sese **R** diverso **ω** (*praeter* **chnrv**) pocae **M**, *corr.* **M**^{1} 433 stabulis **P** 434 vespere **P** at **MP** tenta **M**, *corr.* **M**^{1} 435 auditique **ω** (*praeter* **bhr**) **γ** accuunt **R**

436-461 MPRV. — 436 consedit **MVωγ**: considit **M**^{2}**PRbr** *et, post Heinsium, Ribbeck* 437 « quoniam *pro postquam* » *Serv.* 438 *versum om.* **V**, *fortasse* **V**^{1} *scripsit supra 436* difessa **P** 439 manicisqu **P**, vinclisque **acnvγ**^{1} 440 inmemor **M** 441 transformat] conmutat *Non. 521, 33* 442 fluvium (*om.* que) **V** 443 fuga **M**, *corr.* **M**^{2}, viam **b** repperit **Rn** phallacia **M** (*corr.* **M**^{2}), pellacia **aefhrv**, *schol. Bern. et Bentley*; « fallacia: *legitur et* pellacia » *DServ.* 444 se **M**, sese **M**^{1} adque **R** tandem est **R** 445 « nam quis... *id est quisnam. hodie enim nam particula postponitur, antea praeponebatur* » *Serv., idem schol. Ver.* 446 domus **Ma**, *corr.* **M**^{1} at] et **Pa** 447 proteus **M** (*corr.* **M**^{2}) **V**^{1} (roteus **V**), *Rufin. 50, 36*, protaeus **R** quicquam **MRVbdnrt**, *Arus. 471, 30*: cuiquam **Pω** *et, ex* quiquam, **γ**^{1}; « cuiquam: *alii* quicquam *legunt* » *Serv.*, « quisquam: *alii* quicquam *legunt* » *DServ.* (*cuius lemma recte* quiquam *id est* cuiquam *coniecit Sabbadini*), « *alii* quicquam *legunt* » *schol. Bern.* 448 tu] iu **P** nolle *Meiser*

venimus hinc lassis quaesitum oracula rebus ».
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa
ardentis oculos intorsit lumine glauco
et graviter frendens sic fatis ora resolvit:
« Non te nullius exercent numinis irae;
magna luis commissa. Tibi has miserabilis Orpheus
hautquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant,
suscitat et rapta graviter pro coniuge saevit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
immanem ante pedes hydrum moritura puella
servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
implevit montis; flerunt Rhodopeiae arces
altaque Pangaea et Rhesi Mavortia tellus
atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
Ipse cava solans aegrum testudine amorem
te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,

---

449 lapsis **Ra**, *DServ. Aen. 2, 114, edd. nonnulli*, fessis **γ**^{1} 450 etfatus **M**, ecfatus *Sabbadini* at **M**^{1}**b**? 451 in lumine **M**, *del. in* **M**^{2} 452 frendns **R**, *corr.* **R**^{1} 453 *v. vitiosum habet Wagner* 454 « commissa tibi: *alii ita distinguunt, ut sit ' a te commissa '; alii* tibi has miserabilis Orpheus » *Serv.* luis **MPVbfhnrγ**, *Serv.*: lues **Rω**, *schol. Bern.* 455 haudquaquam **M**, haudquamquam **P**, aut quamquam **γ**, *corr.* **γ**^{1} ob **MRVωγ**, *Prisc. XIV, 25, Serv.*: ad **P**, *post Reiske Ribbeck et Hirtzel* nisi **M** 456 suscitant **M**, *corr.* **M**^{2} saivit **P** 457 dum] non **P** 458 inmanem **M** 460 ad **P** aequali **R** supremos **MVωγ**, *Non. 388, 8, schol. Bern.*, « supremos *summos* » *Serv.*: supremo **PR** 461 implevit **Vb**, *Mynors*: inplerunt **M**, inpleruit **P**, implerunt **Rωγ**, *edd.* (*ex* flerunt?), impleverunt **c** (*cf. B. 6, 66, Aen. 5, 239; 10, 220, Funaioli, ' Athenaeum ', X, 1932, 397, ' SCO ', XIV, 1965, 86-87*) montes **MRV** artes **M**, *corr.* **M**^{1}

462-464 MγRV. — 462 pangaea **V**: panchaea **M**, pangea **γ**, *schol. Ver. Aen. 1, 3*, pangeae **γ**^{1}**n**, panchai **R** et *om.* **n** rhesi **V**^{1}: resis **M** (resi **M**^{2}), hresi **γR**, hressi **γ**^{1}, rhesis **V** 463 adque *utroque loco* **R** ebrus **γ**, *Probus 225, 11*, heburus **R**, hebus **V** (*corr.* **γ**^{1}**V**^{1}) actia **M**, *corr.* **M**^{1} orthyia **R** 464 aegrum *ex* acerum **M**^{2} morem **n**

465-470 MγR. — 465 coniux te **M** (*corr.* **M**^{1}) **R**, coniunctae **γ**, coniunx tae **γ**^{1}

te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
et caligantem nigra formidine lucum
ingressus, Manisque adiit regemque tremendum
nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
umbrae ibant tenuis simulacraque luce carentum,
quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
matres atque viri defunctaque corpora vita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
impositique rogis iuvenes ante ora parentum;
quos circum limus niger et deformis harundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
alligat et noviens Styx interfusa coercet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque implexae crinibus angues

466 cedente γ, *corr.* γ^1 467 taenareas **M** auta **M**, *corr.* **M**^{1} 468 calicantem **M** ferrugine *Schrader* 469 ingressum γ, *corr.* γ^1 manesque **M**γ^1**R** adit **R** tremendusm **M**, *corr.* **M**^{1} 470 praecibus γ**R**

471-497 FMγR. — 471 cantum **R** cum mutae γ, *corr.* γ^1 herebi γ^1 472 ibant *ex* bant **M**^{1} tenuis **M**, *nom. plur.*: tenues **FM**$^7\gamma$**R** *post hunc v. ex Aen. 6, 311-310-312* quam multae glomerantur aves u. i frigidus annus / lapsi cadunt folia aut ad terram gurgite obare / trans pontum fugit et terris inmittit apricis *inseruit* **R** 473 foliis **FR**ω, *Arus. 485, 6*: silvis **M**γ**cfhnv**, *ex Aen. 6, 309*; « in foliis: *alii legunt* in fluviis » *schol. Bern.* millia **F**γ: milia γ^1 *cett.* 474 aut] iam **c** imbrem **R** 475 atque] ac **R** 477 inpositique γ iuvenis γ, *corr.* γ^1 478 limum **R** arundo γ**R**, *corr.* γ^1 479 inamalis **F** (*corr.* **F**^{1}), innabilis *recc. et edd. nonnulli* undae **F**^{2}; *cf. Setaioli, 'AR', XIV, 1969, 9-21* 480 et] in **R** novies **F**^{1}**M**γ^1 interfusa] s *in ras.* γ^1 cohercet **R** 481 quin Leti stupuere domus atque intima terrae *Flach* stupere **R** domus *ex* domos **R** loeti *ex* laeti **F**$^4\gamma^1$ 482 caerulaeosque **F**, caeruleisque **M** (*corr.* **M**^{2}) implexae **Mtv**, *Arus. 484, 22*: inplexae $\gamma\gamma^2$**r**, innexae **F**^{1}**R**γ^1 (*cf. Aen. 6, 281*), inpexae **F**^{2}, impexae **M**^{1}**n**, *schol. Bern.*, *DServ.*, amplexae ω; « inplexae *involutae, inplicitae* » *Serv.* inhians tria cerberus ora **F** (*v. 483*), *dein radendo* innexae crinibus angues **F**^{1}, inpexae **F**^{2}

Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora
atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Iamque pedem referens casus evaserat omnis,
redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
pone sequens (namque hanc dederat Proserpina legem),
cum subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
restitit, Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
immemor heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
effusus labor atque immitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnist auditus Averni.
Illa: « Quis et me » inquit « miseram et te perdidit, [Orpheu,
quis tantus furor? en iterum crudelia retro
fata vocant conditque natantia lumina somnus.
Iamque vale; feror ingenti circumdata nocte
invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas ».
Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
commixtus tenuis, fugit diversa, neque illum

483 *hunc v. om.* **F**, *inseruit* **F**^{1} 484 ixionei **F**^{1}, ixioni in γ, ixonii γ^1 Ixionii vento rota] Ixionius momento *Phillimore*, *'CR', XXX, 1916, 146-152* vento *scilicet in vento*] velox *Faber*, cantu *Burman*, retro *Peerlkamp*; « vento... *deest 'cum'* » *Serv.*, « vento *pro adventu significat...*, *aut* ventu *verbum gerundi est* » *DServ.* 485 ivaserat **F**, *corr.* **F**^{1}, superaverat *GLK VII, 97, 1* 486 reddit atque **M**, *corr.* **M**^{2} eurydices **M**, erydice γ, *corr.* **M**$^1\gamma^1$ 488 subito γ**Rt**, *corr.* γ^1 incautu **F**, *corr.* **F**^{1} demencia γ 489 ignuscere γ, *corr.* γ^1 490 erydicenque γ, *corr.* γ^1 sua **a** iam *om.* **M**, *add. et dist.* **M**^{2} « suam iam: *alii legunt* iam luce sub ipsa » *Serv.* 491 eu **F**, *corr.* **F**^{1} respecxit **M** omnes γ^1 493 saterque **M**, sa *del.* **M**^{2} stagnist *Ribbeck et Sabbadini*: stagnis **FM**$\gamma\omega$, stagni est **R** auditur **a**^{1} averni **F**γ**R**ω, *Serv.*: avernis **Ma**^{1}**t**, *DServ.*, stagnis - Avernis *Mynors* 494 perdedit **M** inquid γ orpheus **M** (*corr.* **M**^{1}) **c**, orphaeu **R** 495 cruelia **F**, *corr.* **F**^{1} 496 conditaque γ, *corr.* γ^1 nutantia **n** 497 ferer **M**, *corr.* **M**^{1}

498-521 MγR. — 500 conmixtus γ in diversa **M**^{7}; « fugit diversa, *per diversa* » *Serv.*, « diversa, *in diversa loca* » *schol. Bern.*

prensantem nequiquam umbras et multa volentem
dicere praeterea vidit; nec portitor Orci
amplius obiectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
quo fletu Manis, quae numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat iam frigida cumba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
flesse sibi et gelidis haec evolvisse sub astris
mulcentem tigris et agentem carmine quercus:
qualis populea maerens philomela sub umbra
amissos queritur fetus, quos durus arator
observans nido inplumis detraxit; at illa
flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
integrat et maestis late loca questibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei:
solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis
lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis
dona querens; spretae Ciconum quo munere matres
inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi

---

501 nequicquam **M**, *corr.* **M**^{2} volantem **M**, *corr.* **M**^{1} 504 rapta] erepta **M**^{2} 505 quod γ (*corr.* γ^{1}), quos **R** fetu **M**, *corr.* **M**^{1} manes **M**^{2}γ qua γ^{1}**cfhntv**, *edd. ante Ribbeck* nomina γ, *corr.* γ^{1} moneret **M**, *corr.* **M**^{2} 506 *versum abesse malebat Heyne* ille **M**, *corr.* **M**^{1} cymba **M**^{7}, cimba γ^{1} 507 illos *Non. 526, 6* perhibent totos *Macrob. 4, 3, 16* prohibent **M**, *corr.* **M**^{2} 508 *v. om. Non.* (*qui 526, 6-7 legit vv. 507-509*) strymonis] *alt.* s *in ras.* γ^{1} 509 flesse sibi **R** (*id est soli, cf. v. 465* secum): flevisse **M**γω, *Arus. 474, 19, Non.* ecgelidos] ec *in ras.* γ^{1} evolvisses γ, *corr.* γ^{1} astris **Ra**^{1}**rv**: antris **M**γ^{1}ω (*iteratum ex* rupe *superioris versus*), *Mynors*, auntris γ 510 mulgentem γ, *corr.* γ^{1} tigres γ, *corr.* γ^{1} quercis γ, *corr.* γ^{1} 511 maerent γ, *corr.* γ^{1} 512 quaeritur **M** (*corr.* **M**^{2}) **R** faetus γ 513 opservans **M**, observant γ, *corr.* γ^{1} 514 ereboque *Non. 126, 34* 515 quaestibus **M**, quos tibi **a** opplet **a**^{1} 516 non ulli] nullique **c** flexeret **M**, *corr.* **M**^{7} hymenei **M** 517 tanainque γ^{1}, canaiamque **R** 519 iustrabat **R** adque **R** 520 quaerens **M** (*corr.* **M**^{2}) **R** spraetae γ numine **fhv**, nomine *Markland*; « numine: *alii* munere » *schol. Bern.*

discerptum latos iuvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revolsum
gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
a! miseram Eurydicen anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripae ».
Haec Proteus et se iactu dedit aequor in altum,
quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene; namque ultro adfata timentem:
« Nate, licet tristis animo deponere curas.
Haec omnis morbi causa, hinc miserabile Nymphae,
cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
exitium misere apibus. Tu munera supplex
tende petens pacem et facilis venerare Napaeas;
namque dabunt veniam votis irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios praestanti corpore tauros,
qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,
delige et intacta totidem cervice iuvencas.

522-534 FMγRV. — 522 diversum *Non. 405, 6* iuvenum **a** spersere γ, *corr.* γ^{1} auras *Non.* 523 tunc **R** marmoreo **V** revulsum **M**γ^{1}, *periit in* **F** 524 quum **F** medius **F** herus **M**, *corr.* **M**^{2}, haebrus γ 525-526 *in unum* volveret eurydicen anima fugi(ente vocabat) *conflavit* **F**, vox ipsa et frigida lingua *add.* **F**^{4} 525 volvere **M**, *corr.* **M**^{1} euridicen **M**γ^{1}, erudicen γ 526 ah γ miserae **R**, *corr.* **R**^{3} erudicen γ, euridicen γ^{1} 527 referebat **an** 528 protaeus **M**, protinus **R** iacto γ, *corr.* γ^{1} 529 quamque **a** 530 ad **R** cyrenae **M**, cyre **R** (*corr.* **M**^{2}**R**^{4}) ultro est **F**, est ultro **V** affata γ^{1} 531 tristes **V** componere **M**, *corr.* **M**^{2}; *cf. Aen. 4, 341 et Sil. Ital. 11, 566* 532 causas **M**, *corr.* **M**^{7} 533 chorus γ, *corr.* γ^{1} lucit **M**, *corr.* **M**^{1}, iugis **a**^{1} 534 tum, m *in ras.* **M**^{7}, tum γ (*corr.* γ^{1}), *Non. 460, 12* munere *Non.*

535-548 FGMγRV. — 535-548 *fere omnino evanuerunt in* **G** 535 faciles γ**R** 536 naque **V**, *corr.* **V**^{1} dabant γ, *corr.* γ^{1} 537 set **M** 538 eximios **M**γ^{1}ω, *Macrob. 3, 5, 6*: eximio γ**RVn**, *periit in* **FG**; *cf. v. 550* prestantis γ, praestantis **R**, prestanti **V** (*corr.* **V**^{1}); *cf. v. 550* tauros] u *in ras.* γ^{1} 540 delege γ, *corr.* γ^{1} intacta **M**γ^{1}**V**ω, *Macrob. 3, 5, 5, Serv. hic et Aen. 6, 38*: intactas γ**Rbd**, *schol. Bern.*, *periit in* **FG**; *cf. v. 551 et Sil. Ital. 13, 431* iuvencos *Macrob.*

Quattuor his aras alta ad delubra dearum
constitue et sacrum iugulis demitte cruorem
corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
inferias Orphei Lethaea papavera mittes
et nigram mactabis ovem lucumque revises;
placatam Eurydicen vitula venerabere caesa ».
 Haud mora; continuo matris praecepta facessit:
ad delubra venit, monstratas excitat aras,
quattuor eximios praestanti corpore tauros
ducit et intacta totidem cervice iuvencas;
post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
inferias Orphei mittit lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
aspiciunt, liquefacta bovum per viscera toto
stridere apes utero et ruptis effervere costis
immensasque trahi nubes iamque arbore summa
confluere et lentis uvam demittere ramis.

541 altas **M**, *corr.* $\mathbf{M}^1$ dearam **R**, deorum **cn** 542 dimitte **Mγacdv**, *corr.* γ^1 543 corpora (*om.* que) **Vn** frondosa γ^1 deserere **M**, dessere **γ**, *corr.* $\mathbf{M}^1\gamma^1$ 544 ubi a **γ?**, *corr.* γ^1 induxerit **b**; *cf. v. 552* 545 orphei **MγVω**, *schol. Ver.*, « Orphei *dativus est graecus* » *Serv.*: orphi $\mathbf{M}^2$ (« orphei: *in Ebrii* orphi » *schol. Bern.*), orpheo **Rn**, *periit in* **FG**; *cf. v. 553 et B. 4, 57* lethea **GγRV**, laetea **M** mittis **F**, *corr.* $\mathbf{F}^1$ 546 locumque **γ**, *corr.* γ^1 levises **F**, *corr.* $\mathbf{F}^1$, revisens *Burman* 547 *ante 546 collocant recc., Bentley, 547 malebat abesse Heyne* 548 haut **γR**, *corr.* γ^1 facessit $\mathbf{F}\gamma^1\mathbf{RV}\omega$, *Serv.*: capessit **Mγr**, *evanuit in* **G**; « capessit..., *alii legunt* facessit » *schol. Bern.*

549 GMγRV. — 549 iras **M**, *corr.* $\mathbf{M}^1$

550-566 GMγR. — 550 eximios $\mathbf{GM}\gamma^1\omega$, *Macrob. 3, 5, 6*: eximio **γR**; *cf. v. 538* praestanti **GMγRω**, *Macrob.*: praestantis $\mathbf{R}^4$; *cf. v. 538* 551 intacta $\mathbf{GM}^1\gamma\omega$: intacto **M**, intactas **Rad**; *cf. v. 540 et Sil. Ital. 13, 431* 552 ube **γ**, *corr.* γ^1 induxerit **bc**, *schol. Bern.* 553 orphei **Mγω**: orphi $\mathbf{M}^1$, orphaeo **R**, *periit in* **G**; *cf. v. 545* 555 boum **γR** viscere **γ**, *corr.* γ^1 556 et *om.* **b** 557 inmensasque **γR** trahit **γ**, *corr.* γ^1, trahens **R** nubem **b** 558 dimittere **Macdh**

Haec super arvorum cultu pecorumque canebam
et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
fulminat Euphraten bello victorque volentis
per populos dat iura viamque adfectat Olympo.
Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,
carmina qui lusi pastorum audaxque iuventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

vv. 559-566 interpolatos (a Statio?) censuit Herrmann, Studi Funaioli. Romae 1955, 128-132, sed cf. 'Acme', XXIII, 1970, 140 n. 559 supra **a** cultus **Gb?**, culto **γ**, *corr.* γ^1 pecodumque *Diom, 413, 16* 561 eupraten **γ**, *corr.* γ^1 562 affectat **M**; « affectat *pro intendit* » *DServ.* 563 virgilium **γ** 564 partenope **γ**, *corr.* γ^1; « Parthenope: *in Ebrii* Parthinope » *schol. Bern.* ignobiles **M**, *corr.* $\mathbf{M}^1$ oti] aevi **b?r** (*cf. Aen. 7, 776*) 565 « auxi: *alii legunt* audax » *schol. Bern.* 566 tytire **γ** tu **Gn**, *corr.* $\mathbf{G}^1$ patule **M**, *corr.* $\mathbf{M}^2$ caecinit **M**, caecini **γR** caecini patulae **R**

P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIB. IIII EXPL. **M**, P. VIRGILI MARONIS GEORGICON LIBER IIII EXPLICIT **γ**, VERGILII MARONIS GEORGIC. LIB. IIII EXPLIC. FELICITER **R**, *deest in* **G**